



ERnestus filius fuit Christopherei Marchionis Badensis, ex Otilia comitissa Cattimelibocēsi: natus est anno 1482. Hic cū fratribus in optimis literis institutus, in prudentissimum principem euasit. Hāc eius felicem indolem pater auimaduertens, etiānum uiuens eum Marchionem Hochburgensem, atq; dominū in Sufenburg, Rœtelen, & Badenuieler cōstituit, quas regiones ipse Cæsaris Maximiliani permissu, à Philippo ultimo Marchione Hochburgense, & sine mascula prole uita functo, non ita pridem acceperat. Eam ditionem is tanta animi moderatione gubernauit, ut etiānum eius uirtutes passim à subditis prædicentur.

Patre uerò Christophero mortuo, Philippus & Bernhardus Marchionatum Badensem regendam susceperunt. Erat Philippus magnæ prudentiæ princeps, qui Hieronymo Veho lureconsulto doctissimo Cancellario usus fuit. Cum autem is sine mascula prole obiisset, Ernestus cum fratre Bernhardo eius hæreditatem adiit, atq; in locorum diuisione ipse Pfortzensen tractum accepit. Itaq; Pfortzhemij suam curiam habuit, & magna laude superiorem & inferiorem Marchionatum gubernauit, cum frater intermedium Badensem sibi retinisset. Cum autem eo tempore Euangelij doctrina per Lutherum restaurata & publicata esset, quam multi docti uiri approbarent, & aliquot principes amplecterentur, Ernestus Marchio sese pro sua prudētia modestissimum exhibuit. Omnis enim uitandi motus causa Catholicam religionem per suam ditionem seruauit, atq; hac ratione pacem perpetuam magno subditorum com modo retinuit. Cum etiam rusticorum tumultus anno 1525 passim per Germaniam oriretur, ipse absq; maiori seditione suos benignè allocutos in officio retinuit. authoribus quoq; huius turbę exilio multatis, cæteris paterno animo ignouit, & in gratiam recepit.